



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.  
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate  
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In  
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

**LePrévost, Jean**

**Dvaci, 1629**

Qvæstio VIII. De approbatione necessaria in sacerdote ad confeßiones  
excipiendas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)



## QVÆSTIO VIII.

De approbatione necessaria in  
sacerdote ad confessiones  
excipiendas.

## DV B I V M I.

*Vtrum iure antiquo ad hoc ut sacerdoti  
committi posset iurisdictione, requireretur  
Episcopi approbatio?*

**R**ESP. breuiter negatiue, quia id ex nullo iure positum, vel natura potest colligi. vnde pastor poterat delegare iurisdictionem suam alicui sacerdoti, licet non approbato, & proinde id nunc potest, ubi Trident. non est receptum, & religiosi habentes privilegium Pontificium excipiendi confessiones, in eisdem locis non indigent Episcopi approbatione, similiter is, qui habet privilegium eligendi confessarium, in ijs locis potest eligere non approbatum. Aduerte tamen Episcopum potuisse, & nunc posse etiam ijs locis efficaciter impedire pastores, ne vlli suam iurisdictionem delegent, nisi a se approbato. Patet ex dictis, quia potestas pastorum hac in parte subordinatur Episcopis, ita ut ij saltem iustis de causis possint impedire, ne pastores iurisdictionem alicui delegent. Dixi pastores, quia respectu eorum, qui iurisdictionem habent immediate à Pontifice, vel alio superiori in hoc foro, non possunt hanc conditionem requirere, quia non possunt impedire, quominus ij vtantur iurisdictione sibi à Pontifice concessa iuxta iuris dispositionem.

Hinc si Conc. Trid. in aliquo loco non sit receptum, & Episcopus illius loci velit approbare omnes ad hoc, vt censeantur posse validè absolvere, eo præcepto, vel statuto non astringuntur ij, qui per privilegium Pontificis possunt confessiones excipere, sed possunt etiam non approbati validè, imò & licitè absolvere, quamdiu Conc. Trid. non censetur ibi recipi. quod addo quia si tale statutum sufficiat ad hoc, vt Tridentinum censetur hac in parte recipi, attinget etiam habentes iurisdictionem à Pontifice, non vi propria, sed quia tales incipient obligari lege Concilij. quid autem requiratur vt Concilium censetur recipi, pendet à modo recipiendi leges Conciliorum in hoc, vel illo loco, quod quisque in suis partibus debet considerare.

## DV B I V M II.

*Vtrum, ubi Concilium Tridentinum est receptum, requiratur approbatio Episcopi ad hoc, ut sacerdos confessiones possit excipere?*

**C**ONCILIVM Trid. sess. 23. c. 15. de reform. ita habet: *Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam regularem posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneis indicetur, & approbationem, quæ gratis*

*detur, obtineat, privilegij & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

Ex quâ constitutione patet nouo iure quandam conditionem esse requisitam, vt quis ad confessiones excipiendas censeatur idoneus, pro quo

Notandum 1. quisquis parochiale beneficium habet, eo ipso esse, & censei idoneum; cui delegatur potestas excipiendi confessiones, vt patet ex Concilio. quod videtur intelligendum, quando habet curam animarum; nam si quis habeat beneficium parochiale, nondum tamen habeat curam animarum, non videtur idoneus: quia nondum est pastor. per habentes beneficium parochiale intelliguntur omnes qui habent beneficium habens curam animarum, vt Decani Capituli, Vicarius perpetuus parochi, & similes non tamen intelliguntur superiores religionum, qui nullam habent curam secularium, quod etiam vltis declarat. ij enim non possunt sine approbatione excipere confessiones secularium.

Quamquam autem aliquo modo posset esse questio de nomine, num parochi relinquuntur iuri antiquo, an verò eo ipso censeantur approbati: commodius tamen videtur dicendum, quod censeantur eo ipso etiam iure nouo approbati, scilicet, quamdiu beneficium retinent. Cum verò hi iure ipso approbentur, & quidem absolute, (quidquid sit de alijs (non tantum intra terminos diocesis, in qua degunt, potest illis delegari iurisdictione ab alijs parochis, sed vbiuis, quia sufficienter censentur approbati pro omni loco, possuntque eligi ab omni eo, qui potest confessarium eligere. possunt etiam eligi in tubilæis, vbi dicitur, vt quis possit eligere approbatum ab Ordinario: quia per particulam, *ordinario*, non censentur exclusi approbati ab ipso iure, sed longè potiori ratione comprehendit: dixi quamdiu retinent &c. quia si deserant beneficium, vel eo priuentur, vi illius partis non possunt amplius censei idonei: quia carent conditione iure necessariâ. vnde de illis iudicandum est, sicut de alijs.

Notandum 2. approbationem non esse necessariam 1. ad validè excipiendas confessiones de solis venialibus, quia approbatio solum videtur necessaria, quando confessio instituitur de materiâ necessaria, & respectu cuius consuetudine Ecclesiastica non competit vnicuique iurisdictione, 2. non esse ita necessariam in mortis articulo, quin deficiente approbato possit non approbatus validè absolvere. vt communiter Doctores, & patet ex Trid. sess. 14. cap. 7. 3. nec esse necessariam ad excipiendas confessiones religionum, siue virorum, siue feminarum, vt patet ex Trid. supra, cuius dispositio solum respicit confessiones secularium, vnde sequitur, quod quando superior concedit religionis facultatem eligendi confessarium, is possit eligere non approbatum. his prænotatis Resp. &

Dico ad hoc, vt sacerdos non parochus possit excipere confessiones secularium etiam sacerdotum requiritur præuia approbatio Episcopi. patet ex Trid. c. 15. cit. quod etiam verum est de religioso excipiente confessiones secularium, ex quo Sequitur 1. quod cum alicui seculari conceditur per Bullam, vel aliter potestas eligendi confessarium, solum possit eligere aliquem pastorem, vel alias approbatum, quia solum censetur concedi potestas eligendi idoneum secundum iuris ordinem, idque etiam verum est in Episcopo, & alijs, quibus ea potestas eligendi conceditur, vt respondit Pontifex auditâ Congregatione Cardinalium.



Coroll. 2.

Abſque approbatione abſolutio futura eſt irrita.

8.

Petitio. Quorund. reſponſ. affirm.

Nauar. Henric. Reſponſio ſuadet primum ex Clem. Du-

Suadet ſecundo.

Reſp. auctoris negatiue.

Suar. Vaſq.

Soluntur argumenta prius in contrarium.

10.

11.

Sequitur 2. regulares non poſſe abſque huiusmodi approbatione audire confeſſiones ſecularium, qui monaſterio ſeruiunt, ſuntque de familia, vt reſpondit Congregatio.

Porro hæc approbatio ita eſt neceſſaria, vt abſque illa abſolutio ſit futura irrita, vt reſpondit congregatio, & patet etiam ex ipſo Concilio quod dicit, nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſecularium audire, nec ad id idoneum reputari &c. quo loquendi modo planè designat non eſſe capacem capacitatem iuris, quod etiam verum eſt in Doctore Theologiæ, vel Iuris Canonici, quem aliqui abſque fundamento exiſtimant cenſeri ipſo iure per Papam approbatum, cum talis iuris nullum exſtet veſtigium, & ita nobiſcum cenſent plerique alij.

Petes, an ſi Episcopus neget approbationem religioſo, iſ poſſit valide confeſſiones audire? aliqui ita cenſent ſaltem de Patribus Dominicanis, & & Franciſcanis præſentatis à ſuis Prouincialibus, vel eorum Vicarijs, quòd ſcilicet Episcopo ſine cauſa negante approbationem poſſint confeſſiones audire. ita Nauarrus cap. 27. ſummè nu. 265. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 4. & alij, quod probatur 1. ex Clementina, dudum, §. ſtatimus, de ſepulturis, vbi Episcopo nolente tribuere licentiam prædictis patribus præſentatis à ſuis Prouincialibus &c. eo modo, quo ibi præſcribitur, Pontifex eam concedit, cui Clementina non derogat Trid. quia per clauſulam generalem nõ ſufficienter cenſetur alteri iuri derogari 2. venia petita, & iniuſte negata cenſetur conſeſſa.

Nihilominus omnino verius eſt non poſſe valide abſoluere quia Conc. nullum vult reputari idoneum, qui huiusmodi approbationem non obtineat, etiam religioſum, quã loquendi formã ſignificat non ſufficere etiam petiſſe, ſe requiri ſeipſa obtinere; nec verum eſt licentiam debitam, etiam iniuſte negatam cenſeri conſeſſam, vt etiam ſuprà diximus, & ita tenent Suarez diſp. 28. ſect. 5. num. 12. Vaſquez quaſt. 93. art. 3. dub. 3. ex quo patet reſponſio ad poſterius argumentum.

Ad prius dico licet nihil aliud poſſemus reſpondere, poſſe dici, quòd ſufficienter derogetur iſti priuilegio, cum Concilium derogat priuilegijs. 2. tamen dico quòd, vt vi conſtitutionis Conc. Trid. religioſus non poſſit excipere confeſſiones ſecularium, Episcopo etiam iniuſte negante approbationem, non ſit opus derogare Clementinæ citatæ, pro quo

Notandum in prædicta Clementinã ſuperiores Prædicatorum & Minorum non debere præſentare ſuos, vt ſolum per Episcopum iudicentur idonei ad confeſſiones excipiendas, ſed vt Episcopus eis concedat facultatem illas excipiendi, atque adeò, vt illis det iuriſdictionem, quo iniuſte negante eam concedit Pontifex, hæc clarè patent ex textu. vnde ea Clementina non agit de eo, de quo Trid. cap. cit. & vtrumque ius optimè poteſt ſimul conſiſtere, vt videlicet, ſi præſentatis iuxta modum in Clementina præſcriptum Episcopus nolit iuriſdictionem concedere, eo ipſo concedat Pontifex, cuius tamen iuriſdictionis alterutro modo obtinendæ non ſint capaces poſt Trident. niſi præcedat Episcopi approbatio, vbi obiter

Aduerte per hanc approbationem non dari eo ipſo iuriſdictionem, ſed ſolum ſacerdotem auctoritatiue iudicari capacem, cui poſſit iuriſdictio à paſtoribus, vel aliter delegari. patet quia conſtat varios religioſos ita approbari ab Episcopis; vt ta-

men iuriſdictio eis immediate conferatur à Pontifice.

Conſirm. quia varijs ſtatim poſt approbationem poſſunt abſoluere à varijs caſibus, à quibus Episcopi abſoluere nequeunt, ergo ſignum eſt per approbationem, præciſè ibi ſiſtendo, non conferri iuriſdictionem, ſed perſonam auctoritatiue, & iuriſdictione declarari capacem, cui iuriſdictio delegatur.

Aduerte vt aliquis approbetur, non neceſſario prærequiri examen, vt patet ex Trid. ſufficit ſi iudicetur idoneus, vnde cumque notitia idoneitatis ſit comparata.

## D V B I V M III.

## Quis poſſit approbare?

**R**E S P. ſolum Episcopum, ita vt id non poſſint ſuo iure inferiores, qui in cætum fidelium non habent iuriſdictionem Episcopalem, quod addo quia ad poteſtatem approbandi non requiritur ordo Episcopalis, cum Episcopus etiam confirmatus poſſit ante ſuam conſecrationem approbare, ſufficit ergo habere Episcopalem iuriſdictionem in cætum fidelium, vnde capitulum ſede vacante poteſt approbare, ſimiliter poteſt Abbas, vel quilibet alius prælatus habens in ſecularibus iuriſdictionem Episcopalem; quia hi omnes veniunt nomine Episcopi in his, quæ non ſunt Ordinis Episcopalis, niſi ex adiunctis cõtrarium aperte colligatur, quod in præſenti non contingit.

Conſir. 1. hi omnes quoad curas ſibi tali iure ſubiectas examinant, conferunt curam animarum, ſine reſuſu ad Episcopum, ergo giendum eſt eos ſimiliter poſſe approbare.

Conſirm. 2. quando Trident. aliquid ſimilibus noluit communicare, id expreſſe, vt patet ex cap. 10. de reformatione ſeſſ. 23. vbi ita reſeruat Episcopis concedere dimiſſorias, vt diſcrete eam poteſtatem neget Abbatibus etiam exemptis, declarat Cardinalium quæ in contrarium reſeruetur, non videtur ita certa, & poteſt intelligi quod per eam negetur poteſtas approbandi inferioribus, ſcilicet carentibus in ſecularibus iuriſdictione Episcopali, & ita nobiſcum de Abbate exempto tenet Suarez diſp. 28. ſect. 5. cit. num. 3. Sanchez lib. 8. quaſt. 12. ſub finem. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 1.

Porro Episcopi, & alij habentes iuriſdictionem Episcopalem non ſolum per ſe, ſed etiam per ſuos vicarios poſſunt approbare, nec ſolum per vicarios, quos vocant Generales, ſed etiam per quoscumque alios, quos ad id deputare voluerint; quia talis poteſtas iure ordinario illis competit.

Petes, cuius Episcopi requiratur approbatio?

Reſp. Episcopi, cui ſubijcitur ſacerdos, quia hæc approbatio eſt auctoritatiua declaratio; Episcopus verò alienus non poteſt auctoritatiue declarare alienum eſſe capacem.

Conſirm. ex reſponſione Cardinalium: nam Pontifex ex eorum ſententiã reſpondit ſacerdotem, quem Episcopus poteſt eligere in conſellarium, debere habere beneficium parochiale aut obtinuſſe approbationem ab Ordinario, ſi videlicet Episcopus conſtitens non ſit eius ſuperior.

Sed quid dicendum de religioſis exemptis? dico etiam hos debere approbari ab Episcopo loci, in quo degunt, quia quoad hoc cenſeri debet eorum ordinarius.

Conſir.



Confir. quia sepositis privilegiis, quoad ordines recipiendos necessarii debent eos recipere ab Episcopo loci, in quo habitant.

Quid si possint Ordines à quocumque recipere?

Resp. etiam hos debere approbari ab Episcopo loci, in quo commorantur: nam ex privilegio obtento super vno non potest concludi quod habeant super aliud, cum id neque ex rei natura, neque ex tenore, & proprietate verborum privilegij deducatur.

Confir. 1. quia alioquin dicendum esset sæcularem, qui potest ordinari à varijs Episcopis ratione originis, domicilij, vel beneficij, posse à quouis illorum approbari: quod tamen minimè videtur dicendum.

Confir. 2. si privilegiati non haberent privilegium quoad ordines, deberent ordinari ab Episcopo loci; ergo similiter, si quoad approbationem non habeant speciale privilegium, debent approbari ab Ordinario loci, in quo habitant, & in quo non censetur esse peregrini, qui quoad ea, in quibus non eximuntur, censetur etiam eorum ordinarij.

Notandum hanc approbationem videri actum iurisdictionis, & proinde Episcopum nominatim excommunicatum, vel nominatim à iurisdictione suspensum non posse approbare. contrarium tenent Sa verbo *confessor* num. 3. & Henriquez lib. 6. cap. num. 3.

Petes, an Episcopus possit approbare cum limitatione?

Resp. posse, v. g. limitando ad certum genus personarum, ad certum locum, ad certum tempus. quod si ita approbet, constat non posse sic approbato committi iurisdictionem ultra modum in approbatione præscriptum. unde sic approbatus virtute iubilæi non potest ab alijs, vel alio loco in confessarium eligi. porro prudenter interdum ita se gerit Episcopus, ut quia non sufficienter ei constat de doctrinâ, vel probitate eius, quem approbat, vel quia non habet commodiorem; sperat autem se post aliquod tempus habiturum, vel alijs de causis, quando de sufficienti approbandi tam in doctrinâ, quam in moribus ei constare potest, non videtur rationabiliter ita limitatè approbare. vbi

Notandum approbationem datam absolute tam diu durare, quâ diu non reuocetur, si reuocetur, exspirare. potest autè reuocare non solum successor, sed etiam ille ipse, qui approbavit. quod si non sit causa rationalis, Episcopus non videtur posse pro arbitrio absque peccato reuocare. plures autem causæ subesse possunt, ut v. g. quod qui putabatur idoneus deprehendatur minus idoneus, vel quod mores sint mutati in peius &c. quæ Episcopi prudentiæ relinquuntur. successor multò facilius potest approbatus à prædecessore ad examen reuocare. & hæc quidem de sacerdotibus subditis Episcopo.

Cæterum regulares ordinum mendicantium ab aliquo Episcopo approbati prævio examine, non possunt ab eodem examinari, possunt verò à successoribus. ita Pius quintus in Bulla edita anno 1571. quæ incipit, *Romani Pontificis*, quæ constitutio non est reuocata per Gregorium decimum tertium, ut respondit congregatio. porro ex hac constitutione Pij quinti videtur patere Episcopum non posse approbare mendicantes cum limitatione, & quantum est ex vi potestatis, posse alios cum limitatione approbare.

## DVBIVM IV.

*Vtrum absolute approbatus ab vno Episcopo possit censi sufficienter approbatus, ut ubique possit ei committi iurisdictionis?*

SUPPONO ex dictis, & ex communi doctrinâ Theologorum, qui hac de re scripserunt, pastorem, quamdiu retinet pastorem, nec aliud habet impedimentum canonicum, posse à quolibet habente iurisdictionem ordinariam delegari ad excipiendas confessiones non solum intra terminos suæ diocesis, vel personarum eiusdem diocesis, sed etiam alibi, & aliarum, atque adeo diversarum diocesium pastores posse sibi inuicem hæc facultatem delegare (nisi iustâ de causâ repugnet Episcopus) item cum qui habet beneficium parochiale, posse eligi in confessarium à quocumque habente facultatem eligendi approbatum. Quæritur verò, num alij sacerdotes siue sæculares, siue regulares, semel legitime approbati absolute iuxta præcedens dubium, quorū approbatio non sit reuocata, censentur sufficienter approbati, ut etiam extra diocesim approbantis possit eis iurisdictionis delegari?

Communi illis negatur. tenent plurimi, qui hoc tempore tam in Hispania, quam in Italia scribunt, quibus in locis praxis docet quod quodcumque sacerdos, siue sæcularis, siue regularis, mutat diocesim, noua opus habeat approbationem, ut in nouo Episcopatu censetur capax recipiendi iurisdictionem delegatam.

Suarez conuenit cum hac opinione respectu eius, qui mutat diocesim, videtur tamen sentire eum, qui non mutat diocesim, ita ut extra illam existens censetur peregrinus, & externus, posse recipere iurisdictionem etiam extra suam diocesim. quia de tali verum est dicere, quod sit approbatus à suo Episcopo cum in casu posito remaneat subditus eius, qui approbavit. ita videtur censere disputatione 28. sect. 7. nu. 4. iuncto nu. 8. & seq.

Aliqui simpliciter affirmant, ita Henriquez lib. 6. cap. 6. nu. 7. qui in commentario litera A. citat plures Theologos, & Iurisperitos, Sa verbo *confessor* num. 6. qui videtur intelligi etiam de sæcularibus, quia in præcedenti egerat de regularibus.

Dico 1. sacerdos, siue regularis, siue sæcularis à suo Episcopo absolute approbatus, quamdiu censetur esse diocesis approbantis, potest censi sufficienter approbatus, ut alibi existens per modum transitus possit ibidem illi delegari iurisdictionis. patet ex responsione Pontificis, de quâ dubio præcedenti, quâ dicitur quod Episcopus debeat eligere approbatum à suo ordinario; in quâ responsione satis indicatur hac ratione approbato posse committi iurisdictionem etiam extra diocesim approbantis, quia responsio non supponit Episcopum penitentem esse in aliena diocesi, sed vniuersaliter loquitur. fauet etiam alia responsio, in quâ dicitur quod cum per Bullam conceditur regularibus facultas confitendi approbato, intelligatur de approbato ab ordinario confessarij, non verò penitentis. ratio est quod in casu conclusionis sacerdos est, & censetur subditus eius, qui approbavit, & est verè approbatus ab eo, qui est eius ordinarius, dum illi committitur iurisdictionis.

Hinc sequitur quod habens potestatem eligendi confessarium approbatum, possit talem eligere etiam



extra suam diocesim agentem, item quod tempore Iubilæi, quādo datur facultas cōfiteri approbato ab Ordinario, possit quilibet tali cōfiteri, v. g. Franco approbato à suo Episcopo, qui in transitu versatur in Belgio, imò Episcopus loci non videtur id posse impedire, quia in tali casu non potest eius approbationem reuocare ut suppono, cum ei non subdatur; non potest etiam iurisdictionem impedire, cum illa in eo casu tribuatur à Pontifice. quidquid sit hac de re sacerdotes societatis semel ab aliquo ordinario approbati possunt ubique confessiones audire, dum iter faciunt, ut patet ex Bulla Gregorij decimi tertij. 3. Maij 1575.

21.

Conclus. 2.

Dico 2. probabile est quod attento solo Conc. Trid. sacerdos absolute à suo Episcopo approbatus possit ubique recipere iurisdictionem, quantumvis mutet domicilium, & desinat esse subditus Episcopi approbantis.

Prob.

Probatur, quia in rigore verba Concilij non amplius exigunt, nam talis est verè approbatus à suo Episcopo, & Ordinatio cui videlicet suberat (saltem quoad hoc) quando recepit approbationem, & Episcopus approbans verè potuit auctoritativè declarare talem esse idoneum ad confessiones excipiendas, quod per loci mutationem non tollitur.

Confirm.

Confir. 1. constitutio Trid. requirens conditionem in eo, cui possit demandari iurdictio, quæ conditio aliàs non requirebatur, potest dici restringere potestatem committendi iurisdictionem, & proinde ipsa potest strictè intelligi, quantum verba patiuntur; verba autem prædictum sensum possunt commodè recipere, ab Episcopis approbationem obtineat, scilicet unusquisque à suo, id est, unusquisque hanc approbationem obtineat ab Ordinario loci, in quo degit, dum approbatur.

Confir. 2. si Conc. aliud voluisset, videtur quod mentem suam clariùs debuisset explicare.

Confir. 3. ex eo quod approbatus ab uno Episcopo possit alibi recipere iurisdictionem, etiam postquam desit esse subditus approbantis, nullum sequitur inconueniens contra scopum Concilij, cum ergo de cætero verba possint modo à nobis allato explicari, probabile est, stando in verbis Conc. semel approbatum posse ubique recipere iurisdictionem delegatam.

22.

Obiectio

Dices id inducere perturbationem in Ecclesiasticâ hierarchiâ.

Resp.

Resp. negando: quia approbatio nullam dat iurisdictionem, & de cætero singuli Episcopi in suis diocesis possunt prohibere parochis, ne delegent iurisdictionem alijs, quàm à se approbatis, etiam irritando delegationem secus attentatam, quod rationabiliter facere possunt, ut aliquo modo cognoscant de capacitate eorum, qui in suis diocesis confessiones excipiunt. 2. cum sacerdotes ratione domicilij, vel quasi domicilij in nostro casu fiant eorum subditi, possunt illorum approbationem reuocare, vel suspendere, non minus, quàm eorum, quos ipsi approbant: imò longè potiori ratione, cum hic longè potior ratio subsit, cum ipsi non habeant notitiam de eorum sufficietia. si agatur de religiosis mendicantibus, & alijs, qui cum ijs participant in privilegijs, Episcopus, ad cuius diocesim se conferunt, in eâ habituri, potest etiam illos examinare iuxta Bullam Pij quinti superiori dubio citatam, si non fuerint unquam ab eo examinati, quia Pontifex respectu mendicantium ei soli Episcopo negat secundum examen, qui per examen approbavit, non autem alteri.

Replica.

Dices, Congregatio Cardinalium respondit

Archiepiscopo Valentino approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in diocesi Valentina non censi approbatum ab Ordinario.

Resp. non ita constare de hac responsione, cum passim eam non ponant, qui responsiones illustrissimorum Cardinalium collegerunt.

Dixi in conclusione, attento solo Conc. Trid. quicquid in varijs locis consuetudo sit in contrarium, in illis omnino standum est consuetudini, quæ ita decretum Concilij interpretatur, ita ut nulla sit absolutio data ab eo, qui approbatus in una diocesi, eâ desertâ migrat ad aliam, & sine approbatione Episcopi loci absoluit virtute Iubilæi &c.

Quia tamen quibusdam in locis est consuetudo, ut religiosi etiam mutantem habitationem, & migrantes ad aliam diocesim non petant notam approbationem, quæ consuetudo ortum habuit ex sententiâ probabiliori variorum doctorum, censentibus in locis sufficere pro similibus approbationem semel obtentam, quamvis Episcopus, ad cuius diocesim commigrant, eos ad examen non euocat, hanc autem consuetudinem vigere in Belgio mihi constat, & proinde religiosi ibidem sese secundum eam gerentes non possunt merito reprehendi.

## QVÆSTIO IX.

### De reservatione casuum.

#### DUBIUM I.

Utrum sit in Ecclesia potestas casus reservandi?

**R**ESP. breuiter esse, est de fide definitum in Trident. sess. 14. can. 9. doceturque cap. 7. eiusdem sessionis, supponitur, quæ cap. si Episcopus, de penitentibus, & remissionibus, in 6. & Clement. dudum s. statutus, de sepulchris, & alibi, fundaturque hæc potestas in naturâ Sacramenti penitentiae, quod exercetur per modum iudicij, inde enim optime sequitur, quod nullus possit validè sententiam in hoc Sacramento proferre, nisi habeat iurisdictionem in penitentem ut optime deducit Tridentinum cap. 7. cit. quam iurisdictionem, vel saltem applicationem materiæ superiores possunt limitare, quoad causas, & peccata.

Ex his verò patet non solum Pontificem posse reservare casus respectu totius Ecclesiæ, sed etiam Episcopos in suâ diocesi, imò idem posse parochos in suâ parochiâ, licet hi prædictâ facultate uti non soleant, & fortè non ita expediat, quod possint patet, quia habent potestatem ordinariam, quam non tenentur alijs cum omni amplitudine delegare.

Aduerte aliquos existimare Episcopum non posse reservare casus sine causâ, quod licet verum esse possit respectu parochorum, qui suam potestatem habent à iure, quæ non videtur posse validè limitari pro solo Episcopi arbitrio: tam è respectu eorum quibus ipse Episcopus delegat potestatem, dubitandum non est, quin possit casus pro suo arbitrio reservare, ut ex dictis patet. adde quod etiam respectu parochorum, nisi apertè constet de iniustitiâ (de quâ tamen non ita facile constare potest) iudicandum sit pro Episcopo, & reservatione, cum constet non deesse illi potestatem reservandi. Episc.

copi